33.

Q. D. B. V.

ADAGIORVM MEDICINALIVM SYLLOGE

QVAM

SVB PRAESIDIO

IO. IAC. BAIERI

PHIL. ET MED. DOCT.

PRAX. BOTAN. ET CHIM. PROF. PVBL.
FACVLT. MED. SENIORIS H. T. DECANI
REIP. NORIMB. PHYSICI ET POLIATRI ALTORF.
NEC NON ACAD. NAT. CVRIOS.
COLLEGAE

PATRONI AC PRAECEPTORIS SVI OMNI OBSERVANTIAE CVLTV AD CINERES VSQVE COLENDI

AD DISPVTANDVM PROPONET

IOHANNES EHINGER
AVGVSTANVS.

AD D. DEC. *A.* O R. cIↄIↄCCXVII.

ALTORFII NORIC.
LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ
A RESPONDENTE ADDITA.

I.

Nulli ſoli ſigno, nedum colori, in morbis pleriſque eſt fidendum.

II.

Anima naturales etiam actiones dirigere videtur.

III.

Præſagia, quæ a ſubſultu variarum partium, a ſternutamentis & aurium tinnitu deſumuntur, ſuperſtitioſa & abſurda ſunt.

IV.

Prudentis eſt medici, morborum deſperatorum curationem non aggredi, monente Hippocrate.

V.

Tempeſtiva remediorum variatio tam medico quam ægro ſæpe plurimum conducit.

VI.

Sicuti medicus, qui morbos graves parvipendit, ſuam ignorantiam, ſic levia quævis mala exaggerans, malitiam prodit.

VII.

Artem Medicam vix ulla perpetua recipere præcepta, recte Celſus judicavit, & inter alia ſectionum Chirurgicarum exempla comprobant.

VIII.

Vnguibus maligna quædam & virulenta qualitas perperam tribuitur.

IX. Quod

IX.

Quod ultra vulgus ſapiat, artemque divinam tractet medicus, in morbis occultis & latentibus oſtendere inprimis poteſt.

X.

Ad auferendam corporis deformitatem ancipiti & moleſtæ curationi ſe ſubiicere, hominis nimium delicati eſt, prudentis autem viri eandem negligere.

XI.

Non omnia mali moris ulcera ſunt inſanabilia, uti ex adverſo benigna quædam ſanationem reſpuunt.

XII.


Inter magiam naturalem licitam, & ſuperſtitioſam illicitamque certos ſtatuere terminos, difficillimum eſt.

XIII.

Vti venenorum in genere, ſic ſpeciatim quæ ab animalibus proficiſcuntur, obſcura valde & dubia eſt ratio.

XIV.

Eandem morbi ſpeciem nunc boni nunc mali moris eſſe poſſe, ſcabiei & cognatorum ipſi affectuum exemplo inprimis conſtat.



I.

Ex cute manifestum est.

A *Iunt, Pherecydem Syrium, Philosophum, morbo pediculari laborasse; Pythagora autem accedente, et quomodo se haberet interrogante, digito per ianuam exserto, dixisse*, χροὶ δῆλα, i. e. *Ex cute manifestum est.* Hæc *Mich. Apostolius* (a). Eodem morbi genere consumptum *Pherecydem*, affirmant *Aristoteles* (b) et *Plutarchus* (c): *Plinius* (d) autem et *Apuleius* (e) *copia serpentium ex corpore eius erumpente necatum* perhibent, quod idem fortasse est, quoniam *serpentium* appellatio in universum genus *insectorum non volatilium*, adeoque & in *pediculos* competit. Cæterum *Diogenes Laërtius* (f), & ex hoc fortasse *Apostolius* l. c. commemorant, illam *Pherecydis* vocem in proverbium translatam, a Philosophis *non nisi in malam partem accipi.*

Liceret hac occasione *de Phtiriasi aut morbo pediculari* sermonem instituere; nisi exempla & historiæ ipsius apud Medicos scriptores passim jam existerent: Quare magis allubescit dictum istud *Pherecydis*, ejusque ἀκρίβειαν applicare ad *medicam de signis morborum doctrinam*; in his enim eruendis sæpe *solus color cutis* ejusdemque aspectus sufficit, ut plane convictus de morbi genere & statu Medicus exclamare possit illud ipsum, χροὶ δῆλα.

A Ita

(a) *Cent. XX. Proverb.* 87. (b) *Hist. animal. Lib. V. c.* 31. (c) *in* Sylla *cap. LXX.* §. 2. (d) *Lib. VII. cap.* 51. (e) *Florid. Lib. II* (f) *in vita* Pherecydis.

Ita ſane *Icterus* e flavo cutis, tum & oculorum colore vel ſolo pateſcit, *Chloroſis* ex pallido, unde etiam denominatur; *variolas*, *morbillos*, *petechias*, aliasque *exanthematum* & *puſtularum ſpecies*, non modo diſtingui, ſed & majus minusve periculum in ſingulis æſtimari poſſe *ex coloris potiſſimum habitu*, nec vulgus ignorat. Quid quod ipſe ſupremus & ſapientiſſimus generis humani ſoſpitator ac Medicus (g) per Moſen populo ſuo non certiora *lepræ dijudicandæ ſigna* ſuppeditavit, illis *a colore cutis carnium & pilorum* petendis.

Taceo & complures caſus alios, in quibus *color & externus corporis habitus*, oculis facillime percipiendus, latentem morbi cauſam & morem manifeſto prodit, ſicut etiam *urinæ*, *& a vena ſecta emiſſi ſanguinis color* non pauca præbet valetudinis indicia, tametſi iis ſolis confidere, ceu vulgo fieri ſolet, minime ſit conſultum.

II.

Salivam movet.

Quanto magis trita eſt proverbialis hæcce phraſis, ut rem valde gratam deſignaturi, *ſalivam* hinc *moveri* pronunciemus, tanto minus ſolliciti erimus de adſtruenda eiusdem autoritate. Nemo enim non in ſemetipſo exploratum id haber, quod *a præſentia & conſpectu alimenti ſuavioris, vel cibi fere cuiuslibet, urgente fame, ſaliva copioſior in buccam confluat, quin & interdum ex ore longius profiliat*: daß einem für Appetit / oder Hunger / das Maul wässert.

Huius phænomeni, & in univerſum *excretionis ſalivæ*

(g) *Levit. cap. XIII.*

salivæ in os abundantioris causam complures recentiorum Physiologorum a *mechanismo masticationis*, & succedente hinc salivalium glandularum compressione satagunt deducere: Verum enim vero quoniam *sæpe citra ullum antecedentem aut comitantem masticationis actum ista salivæ proritatio contingit*, alia omnino ipsius ostendi debet ratio. Neque vero hæc admodum obscura esse poterit consideranti, *prævium istum affectum, & vehementem complacentis alimenti appetitum*, ab anima sic determinatum, ut ipso exsurgente, *manifestus impetus cum valido excernendi conatu in fontibus salivæ* simul suscitetur, antevertendo quasi consuetam in masticationis & deglutitionis actu effusionem.

Hæc igitur *tam prompta & larga salivalis laticis corrivatio* a *masticationis* qualicunque *mechanismo* neutiquam dependet; ex adverso enim, *quando res minus sapidæ aut quadantenus ingratæ, vel sola satietate tædiosæ, diu etiam in ore & quam maxime commasticando versantur, deficere tamen solet salivæ effluxus, ut vel propterea deglutiri commode non possint*, quod merito animadvertendum censuit illustris *Stahlius* (h)

Si cui autem fortasse displiceat simplex illa assertio, *quod anima consensu aut dissensu suo negotium istud moderetur*, is videat, num magis possit acquiescere in *Theod. Craanen* (i) (qui nihil non in œconomia humani corporis mechanice demonstrare voluit) explicatione: *Provenire*, ait ipse, *hanc salivæ copiam in ore ex vasis salivalibus intra os dispersis, quatenus cibi grati conspectus causat in nobis affectum animi, quo spiritus animales copiose nimis ex capite ad palatum, & oris partes inter-*

(h) *Theor. Med.* p. 466. (i) *Tract. de homine*, cap. III. p. 10.

internas determinantur, qui ſuo influxu glandulas in ore ſitas ita comprimunt, ut ſuccum in iis contentum exprimant & excludant.

Alias autem & tunc quoque obſervatur *ſalivæ redundantia, quando res admodum adverſæ, & faſtidium creantes occurrunt, vel nauſea & ad vomitum diſpoſitio adeſt*, quo quidem in caſu natura faſtidioſum obiectum, ſive iam inhærens ori aut ventriculo, ſive extrinſecus adhuc obverſans, collecto ſalivæ abundantis vehiculo, excipere, & removere velle videtur. Cæterum ſi quis paulo accuratius attenderit, is facile deprehendet, *humorem in illo faſtidii caſu*, (da einem für Eckel und Grauen das Maul voll Waſſer laufft) *non tam e ſuperioribus & anterioribus ſalivæ fontibus affluere, quam ex ipſa gula aſcendere, & eructari*, motu ſcilicet periſtaltico œſophagi evidenter inverſo.

III.

Supercilium ſalit.

INter *divinationes* antiquitus celebratas haud infimam fuiſſe conſtat *illam, a ſubſultatione variarum corporis humani partium petitam*, de qua integrum tractatum reliquit *Melampus Hierogrammateus* (k), ex Aegyptiorum maxime ſententia, adeo ample diffuſa, ut vix ullum exiſtat membrum, cuius tremor & ſaltus forte contingens, non ſingulare quippiam boni vel mali portendat ſecundum curioſam obſervationem iſtam.

Hinc

(k) *ſub titulo* περὶ παλμῶν μαντικὴ πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα.

Hinc *Isodoro* (l) perhibente, *salissatores vocati sunt, qui dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum sive triste significari prædixerunt.* *Lud. Cælius Rhodiginus* (m) autem *saliatores* appellari eos scribit, *qui salientes oculos intuiti, odorantur præsagium.* Idem affirmat hoc *augurium* dici *palmicum*, de quo *Posidonius* scripserit, *ab oculi fibrata subsultatione*, qualem motum Græci παλμὸν vocant.

Et *oculi* quidem *dextri saltationem, sive tremorem*, tanquam faustum signum commemoravit *Theocritus* (n) quemadmodum idem phænomenon *in supercilio dextro* apud *Plautum* (o) proverbii loco usurpatum legitur a servo, *auxilium argentarium* sibi hinc præsagiente.

Ad hanc *ominum* seriem quoque pertinent illa a *sternutamentis & aurium tinnitu* desumpta, ceu non solum hodieque fieri consuevit, verum etiam priscis temporibus obtinuit; certe enim *Plinius* (p) suo iam ævo receptum fuisse testatur, *quod absentes tinnitu aurium præsentire sermones de se putaverint.*

Quid vero de huiusmodi *præsagiis* in universum & singulatim iudicandum sit, quilibet sanæ rationis ductum sequens, & afferta ad experientiæ trutinam revocans, facillime deprehendet: sunt nempe *inania vulgi commenta, & superstitionis momenta*, omni firmo destituta fundamento, ut propterea *Thom. Brownius* (q) talia præsagia merito accensuerit *erroribus popularibus.* Quin etiam *August. Niphus* (r), posteaquam omnia, quæ *Melampus, Phœmon, Antiphon & Aegyptii de saltibus*

(l) *Lib. VIII cap. IX.* (m) *Lect. antiqu. Lib. VII. cap. XXIX.* (n) *in Amaryllide.* (o) *Pseudol. Act. I. Sc. I. v. 105.* (p) *Lib. XXVIII. cap. II.* (q) *Pseudodox. Epidem. Lib. V. cap. XXI.* (r) *de Auguriis Lib. I. & II.*

tibus tremoribusque variarum corporis partium augu-ralibus tradiderunt, prolixe recenſuit, tandem ingenue fatetur, *ſternutamenta, ſaltus, resque alias naturales, quæ propriis naturis creduntur ferre hominibus auguria, ſuperſtitioſa & vana eſſe, & ſemetipſum, licet iſta ſæpiſſime ac multis temporibus obſervaverit, nihil unquam veri reperiſſe.*

Cum interim talia frequenter accidant *motuum ſubitaneorum in his illis partibus genera*, nullam tamen video neceſſitatem, cur *ſupernaturalis vel cauſa vel effectus* iisdem aſſignari debeat: ſiquidem *oculorum, ſuperciliorum, genarum, aliarumve partium improviſa* licet *palpitatio*, a ſpirituum in fibris motricibus inæquali motu & agitatione, leviorem ſpaſmum aliquem ciente, oriri facile poteſt, perinde ac *ſternutamentum* a particulis utcunque acribus, & interiorem narium membranam irritantibus, ſive a capite deſtillantibus, ſive ab extra ſuſceptis; *ſonitus* vero *auris* a vapore vel concluſi intus aeris expanſione, vel alia denique cauſa tympanum nervumque acuſticum tendente & premente.

IV.

Nil prodeſt oculis.

GErmanorum hoc eſſe *proverbium*, recte affirmat *Ioh. Baptiſta Montanus* (s). Admodum enim vulgare habetur axioma vel dicterium: Nichts iſt gut für die Augen. Quo ipſo non ſolum indigitatur, *quam periculoſæ ſint oculorum curationes*, & quod ſæpe conſultius

(s) *conſil. med. CII.*

ſultius ab iisdem abſtineatur, ſed etiam *alio ſenſu* commendatur *uſus eximii alicuius remedii ophthalmici.*

Eſt nimirum *Pompholyx*, favilla candida, quæ dum æs cum cadmia ſive calaminari lapide in orichalcum coquitur, ſummis fornacum locis adhæret, flocculorum velleris adinſtar: huic *nihili albi* nomen in pharmacopoliis hodie tribuitur, conſentiente vernaculi idiomatis appellatione, weiſſer Nichts/ haud quidem evidenti ſatis etymo, niſi *materiæ illius inſignem levitatem & raritatem* occaſionem denominationi dediſſe ſtatuatur: Nec aliena videtur Græci vocabuli πομφόλυγος ratio, *aquarum* nempe *bullam* denotantis.

Cæterum iam pridem a *Dioſcoride* & *Galeno* commendata legitur *Pompholyx* inter *ocularia auxilia*, quæ abſorbendo & ſiccando proſunt. Recipitur propterea ad varias *collyriorum* compoſitiones; ſeorſim vero proſtat in pharmacopoliis *unguentum nihili ad oculos*, vulgo etiam frequenter expetitum & celebratum titulo weiß Nichts-Sälblein.

V.

Vno collyrio omnium oculos curare.

MEdicorum imperitiæ ſpecimen hoc ipſum *parœmiæ* loco recenſuit divus *Hieronymus* (t). Quo ſane non immerito redarguuntur illi, *qui easdem remediorum formulas, a præceptoribus ſibi commendatas, aut aliunde acceptas, indifferenter unius eiusdemq; partis affectibus, nedum temperamenti & ætatis ægrotantium aliarumve circumſtantiarum ratione habita, opponunt.* Ean-

(t) *in præfat. Epiſt. ad Epheſ.*

Eandem imprudentiam alio modo caſtigavit *Galenus* (u), artifices tales aſſimilando *ineptis ſutoribus*, qui iuxta *proverbium* ἑνὶ καλόποδι πάντας ὑποδέειν, i. e. *eadem forma omnes calceant*: ſignificat enim ὁ καλόπους *formam pedis ligneam* (ein Schuheleiſten), non calceamentum, ceu minus accurate interpretatur *Eraſmus*.

Omnino autem dexteritas & judicium Medici e *tempeſtiva præſcriptionum variatione* æſtimari poteſt ac ſolet, etiam a vulgo, cui valde diſplicet, ſi, quod itidem in *proverbio* dicitur, *eadem ſemper chorda oberraverit Medicus*: wann der Doctor immer einerley verſchreibet. Quin & Pharmacopœi anſam hinc arripiunt calumniandi Medicum, quaſi materiæ medicæ & compoſitionis remediorum exiguam haberet notitiam. Facile autem ſuperare licebit hoſce ſcopulos, *mutando interdum in medicamentis ingredientium rerum ordinem, aut numerum, aut doſin; vel demum adiiciendo, aut omittendo aliquid, unde color, odor, ſapor quadantenus varietur.*

VI.

Reduviam curare.

INtempeſtivam negotii, quod minoris eſt momenti, tractationem, neglecto graviore, vituperat *Tullianum* iſtud *Adagium* (x) *reduviam curare*: ſignificant enim *reduviæ* aut *reluviæ particulas cutis, quæ circa ungues ſe reluunt aut reſolvunt*, de quibus ipſis vocabulis & eorum origine prolixius egit in Etymologico ſuo *Voſſius*. Deprehendo autem, quod a compluribus Medicis

(u) *Therapeut. lib. IX.* (x) *Orat. pro Sext. Roſc. Amerin.*

Medicis *reduvia confundatur cum paronychia*, eo quidem sensu; quo hæc significat tumorem calidum ulcerosum, in extremitate digitorum vehementi cum dolore accidentem, qui vulgo *vermis digitorum* audit. Sed enim vero *Dan. Sennertus* (y) sagaciter animadvertit, longe aliud *vitium* esse παρωνυχίαν Græcorum, quatenus *reduviæ synonymon* est illud ipsum, nempe *levissimum, quando cutis circa unguium radices finditur, & in exiguas particulas abscedit, cum qualicunque molestia.*

Et sane eadem significatio τῆς παρωνυχίας cum *proverbiali usu* Græcis pariter familiaris exstitit; siquidem *Galenus* (z) *Sabinum* Medicum increpaturus, quod levem ob causam libros de natura humana genuinos esse *Hippocratis* negaverit, maioris tamen momenti res neglexerit, *similem* esse pronunciavit *Medico reduviam curanti in corpore hydropico.*

VII.

Ad vivum resecare.

HOc itidem usurpavit *Tullius* (a) pro eo, quod est, *rem exactius, quam sat est, ac morosius excutere, sumpta metaphora a tonsoribus, capillos aut ungues resecantibus: nam ii sæpenumero molesti sunt, dum nimium diligentes esse student.* Ita recte iudicavit *Erasmus*, qui & cognatum huic adagio esse ostendit *Sophocleum* istud, ξυρεῖ ἐν χρῷ, i. e. *ad cutem usque radit.*

Molestiam inde percipiendam uti nemo ignorat,

B sic

(y) *Prax. Med. libr. V. part. III. cap. ult.* (z) *in libr. II. Hippocr. de Natur. hum. sub finem.* (a) *Libr. de Amicitia.*

ſic *effectus adeo ſtrictim & ad vivum factæ capillorum tonſuræ, & unguium reſectionis*, in reſpectu ad valetudinem patientis, non idem ubique, ſed varius deprehenditur. Et *ab unguibus* quidem *profunde nimium inciſis* periculoſam *inflammationem* ipſamque *gangrænam* funeſtam proveniſſe teſtantur obſervationes, cum alibi, tum inprimis apud *Henr. ab Heers* (b) *Thom. Bartholinum* (c) & in *Ephemeridibus Acad. N. C.* (d) legendæ.

Capillorum autem *raſio ad imas usque radices*, quam facile noxiam inferat, quotidiana *catarrhi*, *cephalalgiæ*, aliorumque malorum hinc natorum exempla ſatis comprobant. De *barbæ* vero *tonſura* noxia, paulo rarior caſus narratur a *Georg. Segero in epiſt. Bartholin.* (e) *monachi* ſcilicet *Ordinis S. Bened. qui toties viſum amiſerat, quoties ex inſtituto regulæ barbam raſerat, hac autem largiter renata, viſum denuo receperat*; unde ſuperiores monaſterii, neglecto regulæ vigore, conceſſerint, imo monuerint, ut in poſterum prolixiorem barbam æger aleret. *An & qua ratione capillorum inciſio barbæque raſio in convaleſcentibus recidivam faciat?* ſingulari exercitatione inquiſivit *Ioh. Bapt. Sitonus* (f).

E contrario *pilorum tonſura ad cutem usque* multis haud exiguum *levamen valetudinis* attulit; quemadmodum *Georg. Hannæus* (g) commemorat exemplum ducis militum, qui a *diuturna cephalalgia* liberatus eſt detonſis forte capillis, cervicem obſidentibus, repetito experimento, quoties ſuccreſcentibus ibidem pilis,

(b) *Obſervat. Med. XII.* (c) *Cent. III. Hiſt. anatom. 78.* (d) *Dec. I. anno III. obſerv. 320.* (e) *Cent. III. Epiſt. LXVII.* (f) *Miſcell. Med. Tract. XIII.* (g) *Ephemer. Acad. N. C. dec. II. anno VII. obſ. 152.*

pilis, doloribusque revertentibus necessitas illius impo nebatur. Similiter Augustiniano cuidam monacho profuit *in debilitate visus* iterata *pilorum sub alis abrasio*, ceu ex fide digna D. *Boxbarteri* narratione retulit illustris D. D. *Lucas Schrœckius* (h).

Tam diversi effectus eiusdem rei causam laudatus vir consistere suspicatur in *diversa cutis diathesi*; ita ut si ex fibrillis sensibilioribus constet, a novaculæ rasione eædem irritatæ, inprimis accedente externi aeris incursu liberiore, ob remotos pilos sese contrahant, sicque humores per cavernas pilorum exituri alio in loco sese effundant, noxiamque inferant; prout vicissim cutis fibrillas non adeo sensiles nacta, contractionem istam pati haud cogitur, unde humores, turbarum antea in capite authores, liberiorem exitum invenientes, illud a malis perpessis liberare valent.

De *unguium resectione*, & quanta circa ipsam opus sit circumspectione, tanto minus attinet dicere, quanto magis vulgo etiam constat, *securius & commodius esse, ut longi relinquantur isti, quam ut strictius & ad vivum usque resecentur*, præsertim quia sic tractati, ad latera se extendere, & in cutem carnis increscere solent, ingenti sæpe cum molestia. Rarissimis annumeranda historiis illa videtur a *Ioh. Hollerio* (i) breviter & nimis obscure tradita, *hydropici* nempe cuiusdam, *qui ad vivum resectis pedum unguibus convaluit, defluxo paulatim illuc humore, exercitii & frictionum ope.*

Cæterum *absolutæ necessitatis* aliquando esse *resectionem in corpore humano ad vivum usque*, vel sola *amputa-*

(h) *in Schol. ad modo cit. observat. in schol.*
(i) *de morb. intern. libr. I. cap. XXXIX.*

putationis membrorum, gangræna, ſphacelo aut cancro corruptorum exempla docent; in huiusmodi enim caſibus *nonniſi in viva adhuc ſanaque parte* ſectionem inſtitui debere, lippis etiam & tonſoribus notum eſt.

VIII.

Vnguis in ulcere.

ET hæc quoque *Ciceronis* eſt parœmia, qua is in *Clodium* invehitur, quod *populum fame iam exaſperatum, concionibus inſuper ſeditioſis in rabiem ageret.* Egregia ſane alluſio! Cum enim per ſe iam ſatis magnum dolorem afferre *ulcera* ſoleant, hunc ipſum *ab externo contactu* facile augeri nemo neſcit; ut propterea *ulcus tangere* in *proverbio* dicatur, ſi quis præſens aliquod malum utcunque exaſperat.

Seorſim vero *ungues facere ad doloris* aliorumque ſymptomatum in ulceribes *augmentum*, vulgo etiam perſuaſum habetur. Quid quod eousque extenditur popularis opinio, ut ſingulariter noxia & *venenoſa quædam qualitas unguibus ineſſe* credatur: daß die Nägel ſüchtig ſeyn; ob quam ſolam certe cauſam celebris illa Gallorum obſtetrix *Louyſe Bourgeois* (k) adeo ſevere prohibuit *freni linguæ in infantibus ſolutionem per ungues* (ceu vulgo conſuevit) ne ſcilicet *mali moris ulcera* hinc oriantur.

Sed enim vero, tametſi exploratum ſit, *vulnera unguibus facta, facile inflammari & ſuppurari*, quin & ulcera pleraque ab unguibus adhibitis *deteriora reddi*, neutiquam tamen intrinſecæ cuidam malignitati adſcriben-

(k) Hebammen-Buch *P. I. c. XXV.*

ſcribendus videtur hic effectus, quam potius *figuræ* ipſorum *externæ* & *modo applicandi*. Cum enim *obtuſiorem* plerumque habeant *aciem*, & vel *ſcalpendo*, vel *premendo*, vel denique *lacerando* lædant, non poterunt non maior *irritatio* & *humorum affluxus*, hinc *inflammatio*, dolor & gravia mala ſubſequi; quamvis interdum *illæ ſordes, quæ ſub unguium apicibus frequenter cumulantur*, *vulneribus* aut *ulceribus* immiſſæ, magis *impura* eadem *reddere* & exaſperare queant.

IX.

Hypula ulcera.

QVi *ſe bonos viros ſimulant, cum improbi ſint*, ὕπουλα ἕλκη per adagium dici, autor eſt *Suidas* (l). Qualia vero ſint hæc *ulcera*, ſtatim apparet ex ipſius Græci vocabuli derivatione, quod ſcilicet ὑπὸ τῆς οὐλῆς *ſub cicatrice*, vel utcunque clauſa cute ſaniem recondant. Huiusmodi *ulcera Hippocrates* (m) ad genus *profundorum* ac *fiſtuloſorum*, & quæ ἔντοσθεν κεκοιλασμένα, i. e. *intus excavata* ſunt, retulit. Germani eadem ſatis congrue appellant verborgene und unterköthige Schäden / quaſi quod ſub integritate ſimulata cutis, materiam ſordidam doloſe foveant.

Quemadmodum vero huius indolis *ulcera*, quo diutius latent, eo maiorem ſaniei copiam intra ſinum ſuum colligunt; ita ſimulati amici & homines fraudulenti, quanto longius occultant malitiam ſuam, tanto potentiores ad nocendum ſolent evadere; unde acumen *adagii* noſtri eluceſcit.

(l) *Cent. XIV. Adag. 17.* (m) *Libr. de medico textu IX.*

Neque dispar est ratio utrorumque *noxam aver-runcandi* : sicut enim *vomicæ* nullam admittunt curationem, priusquam aperta cute saniem intus collectam effuderint, eodem modo homines dolosi & inimici dissimulati non rectius arcentur, quam detecta ipsorum nequitia. Interdum tamen *subitanea grandiorum vomicarum eruptio, & puris abundantior effusio, e. g. in asperam arteriam cavumque thoracis, magnum vitæ periculum affert*, perinde ac malevolorum hominum technæ, liberius accusatæ & proditæ, in manifestam vim & persecutionem sæpius erumpunt.

X.

Sanato vulnere cicatrix manet.

BAlth. Bonifacius (n) commemorat, *e S. Athanasio*, Medium quendam impostorem, qui compares suos adhortatus, ut ne metuerent quamcunque criminationem in quoscunque intendere, adiecit præceptioni sceleratæ rationem appositam : *ut* enim *maxime*, inquit, *sanetur vulnus, manet tamen cicatrix.* Eodem tendit tritissima illa impiorum parænesis : *Calumniare audacter, semper aliquid hæret!*

Vix operæ est pretium confirmare id, quod nec vulgus ignorat, *vulnera qualibet ampliora & profundiora, quin & aliquando leviora visa, etsi caute tractentur, & oræ ipsorum studiose iungantur, relinquere tamen plagæ aliquod vestigium, aut colore aut inæqualitate aut utroque simul conspicuum, quod ipsa est cicatrix.* Ad hanc maturan-

(n) *Histor. ludicr. libr. XVIII. cap. 14.*

turandam minusque deformem efficiendam in usum vocari consueverunt varia remedia cuti applicanda, quæ ideo Græcis ἐπουλωτικά, Latine autem locuturis hodie *Cicatrisantia* dicuntur.

Bene autem noverunt Chirurgi, parum proficere talia ad *concinnitatem cicatricis*, nisi prius *labia vulneris probe adducta, & æqualiter coniuncta* fuerint, cuius ἐγχειρήσεως neglectus tam crebro *deformes* adeo, & in ipsius artificis opprobrium superstites *cicatrices* parit.

Quanquam vero singulari molestia, ne dum periculo res ista careat, quia tamen *in facie præsertim*, tum & aliis in partibus, quæ minus occultari solent, *pulchritudinem lædit*, huius amantes sæpe non verentur expetere dolorificam licet *turpioris circatricis extirpationem*, nil obstante *Celsi* (o) iudicio, *qui stultum esse putat, decoris causa, rursum & dolorem & medicinam sustinere; cum alioquin* (eodem docente) *si vel excreverit cicatrix, vel concava sit, res utrique succurri patiatur. Siquidem utraque cicatrix exulcerari scalpello possit; si medicamentum aliquis malit, idem efficere compositiones has, quæ corpus exedunt. Cute exulcerata, super eminentem carnem exedentia medicamenta coniicienda esse, super concavam implentia, donec utrumque ulcus sanæ cuti æquetur, & tum cicatrix iuducatur.*

Veruntamen cum constet, *eminentes* quasdam *cicatrices*, scalpellis & causticis remediis ablatas, *recrudescere*, his maxime *ustionem* convenire ostendit *M. A. Severinus* (p) eiusque optatum eventum in diversis personis se observasse testatur.

XI.

(o) *Lib. V, cap. 26, artic. ult.* (p) *de efficaci Med. p. m. 272.*

XI.

Chironium ulcus.

QVod hoc in *proverbio* locum habeat, *pro re desperata & immedicabili*, nullum est dubium: unde vero natum sit, de eo controversatur. *Galenus* (q) etenim ortum existimat *a Chironis Centauri peritia in medendo*, & quod ipse primus sanaverit difficilem istam ulceris speciem: cui *Paul. Aegineta* (r) consentit, *Chironia* nempe *ulcera appellari inveterata, & quæ cicatricem vix recipiant, quasi Chirone medicinæ peritissimo indigentia.*

Zenobius (s) autem perhibet, *Chironem* ab *Hercule percussum iaculo in pede, ulcus insanabile hinc accepisse*; quamvis idem & *Suidas* (t) *ex diuturna & frequenti statione* hoc etiam evenisse *Chironi* affirment. *Plinius* certe (u) ac *Diodorut Siculus* (x) *Chironem ab Hercule sagitta vulneratum* commemorant; quam deinde plagam *in ulcus curatu difficile ac diuturnum* abiisse, & hinc *proverbio* datam esse occasionem verosimile videtur.

Quicquid tandem de ipsius *origine* statuatur, perinde nobis est, qui hoc saltem agimus, ut, *qualis speciatim sit ulceris illius conditio*, declaremus, & quidem *Celsi* (y) eloquio: *Chironium ulcus appellatur, quod & magnum est, & habet oras duras, callosas, tumentes. Exit sanies non multa, sed tenuis: odor malus; neque* in

(q) *de methodo med. lib II. cap. II.* (r) *libr. IV. cap. XLVI.* (s) *Cent. IV. Adag. XLVI.* (t) *Cent. XIV. Proverb. LXVIII.* (u) *H. N. lib. XXV. cap. VI.* (x) *lib. IV. cap. XII.* (y) *Lib. V. c. XXVIII. artic. ult.*

in ulcere, neque in eius tumore ulla eſt inflammatio: dolor modicus eſt. Nihil ſerpit, ideoq; nullum periculum adfert: ſed non facile ſaneſcit. Interdum tenuis cicatrix inducitur, deinde iterum rumpitur, ulcusque renovatur. Fit maxime in pedibus & cruribus.

Ex hac eleganti ſane & accurata deſcriptione liquido ſatis apparet, *ulcus* quondam *Chironium* dictum fuiſſe quidem κακοήθες, non autem ex genere φαγεδαινικῶν ſive *depaſcentium ulcerum*, quibus id annumeravit *Galenus*. Cæterum idem ulcus, quod *Chironium* quondam vocabatur, *Telephium* quoque nuncupatum, *quod ab Achille ſauciatus Telephus, in tali hinc nato ulcere conſenuerit*, præ cæteris *Aegineta* l. c. clare oſtendit; plura vero huc ſpectantia deſideranti ſuppeditabit *Rob. Keuchenius* (z).

XII.

Invulneratus uti Cæneus.

Diverſæ ſunt Poetarum & Mythologorum de *Cæneo* narrationes, quomodo ipſe factus ex muliere vir, Neptuni beneficio obtinuerit, *ut ſauciari nullo modo potuerit*: cum enim multis pugnis interfuiſſet, *nunquam* tamen *vulneratus* inde perhibetur, nedum quidem, cum una cum Lapithis contra Centauros pugnans obiit: Nam comprehenſum ipſum, terra tantum obruerunt, ſicque vitam finiit. Hinc Lapithæ dicebant, cum ſublatum eius *cadaver invulneratum* toto corpore inveniſſent; *Cæneus cum tota vita invulnerabilis fuit, tum invulneratus obiit.*

Hæc fabulæ ſumma eſt; cuius occaſione poſſemus tantiſper excurrere ad vexatam illam hodienum quæ-

(z) *in not. ad* Q. Ser. Sammonicum *p.* 959.

ſtionem, *an & quousque poſſibile ſit, ut quis corpus ſuum a vulneribus tutum & impenetrabile præſtet!*

Non deſunt equidem id affirmantes, variaque auxilia & *amuleta* commendantes, quorum naturalis energia, & ſingularis, occulta licet virtus effectum illum *ſine omni magiæ prohibitæ & Satanicæ concurſu* producat; cuiusmodi nonnulla paulo curioſius recenſuit *Ioh. Erneſt. Burggravius* in *Achille* πανόπλῳ, ex quo deinceps *Ioh. Staricius* libelli ſui, multis nugis & ſuperſtitionibus referti, vernaculo idiomate (ſub titulo Heldenſchatz) divulgati, primas quaſi lineas duxit. Prolixiorem vero talium *rerum, quibus telorum in corpus humanum impetus inefficax reddi, & hoc adeo contra illa indurari poſſe* creditur, catalogum contexuit *Iac. Wolffius* (a), ita tamen, ut omnia & ſingula, quomodocunque a variis deprædicata & excuſata, *tam experientiæ quam rationi, inprimis autem Chriſtianæ fidei repugnare* pronunciaverit; in quo prudenti pioque iudicio nos acquieſcimus.

Cæterum bene habet, quod iſtiusmodi artibus operam dantes, ſub quocunque etiam *naturalis magiæ* prætextu, non tolerentur in virorum honeſtorum ſocietate, ſed *velut infames* arceantur, quin & tanquam *nefariæ magiæ rei*, capitis quoque in periculum incurrant.

XIII.

Aſpidis morſus.

QVo notior fuit olim ex genere ſerpentum *aſpis*, eo obſcurior eadem hodie exiſtit, adeo quidem, ut diligentiſſimus alias animantium ſerpentini generis obſervator *Ioh. Raius* (b) neque nominis probabilem

(a) *Scrutin. Amulet. med. p.* 147. (b) *Synopſ. animal. p.* 288.

lem rationem, neque defcriptionem accuratam *Afpidis* dare fe poffe fateatur.

Ex antiquis autem fcriptoribus cognofcere utique licet, *integrum quafi genus* ab ipfis conftitutum fuiffe *afpidis* nomine. *Galenus* (c) equidem tres tantum fpecies enumerat; *Aelianus* (d) vero Aegyptios in fedecim fpecies divififfe idem genus perhibet. Vtut autem in definiendo numero varient, & in forma diftinctim defcribenda deficiant, (fi *Nicandrum* (e) cæteris paulo clarius edifferentem, excipias) in hoc tamen convenire videntur omnes, *quod morfus afpidis periculofiffimus, quin ipfius viperæ morfu nocentior fit, & ordinarie paucarum horarum intervallo perimat*; quare is in parœmia *pro infanabili læfione* celebratur.

Symptomata huius morfus eadem fere a fingulis autoribus memorantur, quod nempe inflictum *vulnus exiguum*, velut acu factum, *non intumefcat, nec admodum doleat*, paucumque fanguinem atrum emittat, quod per corpus *vagi dolores, oculorum caligo, capitis gravitas, torpor & veternus* accedant, mortis utplurimum prodromi.

Duo autem præcipue in veterum comentariis non æque confentanea veritati videntur; primum, *quod afpidis, tefte Galeno, quædam fpecies detur*, ideo πτύας nuncupata, *quæ citra morfum, proiiciendo tantum falivam, poffit occidere*; quo modo *Cleopatra* periiffe fertur; deinde, *quod afpidis venenum natura fit frigidum, & coagulando fanguinem interficiat.*

Priori enim afferto comunis reclamat experientia, quæ docet, non facile, aut faltem non tam velociter, nec

(c) *de Theriaca ad Pif. c.* VIII. (d) *Lib.* X. *de animal. c.* XXXI. (e) *Theriac. p. m.* 11. *fqq.*

nec tanta vi penetrare per integram cutem in corpus ulla venena, uti de *aſpide* affirmatur. Obſtant etiam exempla quondam notata *Pſyllorum*, ſive hominum quodcunque virus ab animantibus venenoſis infuſum ore exugentium, ſine ullo quidem ſuæ vitæ periculo. Alteram aſſertionem vel ſola infringit *Celſi* (f) autoritas & obſervatio de ſalutari uſu *aceti*, quem demonſtraſſe dicitur caſus cuiusdam pueri, qui cum *aſpide* ictus eſſet, & partim ob ipſum vulnus, partim ob immodicos æſtus ſiti premeretur, ac locis ſiccis alium humorem non reperiret, *acetum*, quod forte ſecum habebat, ebibit, & liberatus eſt. Quoniam vero, ex unanimi ſententia optimorum hodie Medicorum, *refrigerando potius & coagulando acetum operatur*, non poterit profecto mederi *aſpidis veneno*, ſi hoc pariter ſanguinem coagulando noceret; ut propterea *Celſus* ſine neceſſitate ad *virtutem diſſipandi*, quam cum facultate refrigerandi ſimul poſſideret acetum, confugiat. Nobis certe *iſta animalium venena, velocem & principium vitale deſtruentem putredinem magis, quam coagulationem ſanguinis inferre videntur.*

XIV.

Extremum occupet ſcabies.

VAriæ quondam in uſu fuerunt *formulæ exſecrandi aut male precandi*, quas inter hæc etiam, vix alibi quam apud *Horatium* (g) legenda occurrit:

Occupet extremum ſcabies, mihi turpe relinqui eſt.

Idem pueros olim curſu certantes clamare ſolitos, eademque voce commilitones ſuos adhortatos fuiſſe narrat *Eraſmus.*

Haud admodum gravis, ſed *iocoſa* magis videri poterit hæc *imprecatio* conſideranti, quod antiquitus etiam in *adagio* dicta fuerit *Herculana ſcabies, pro re parum moleſta;* ſiquidem *Hercules* labore fatigatus, inſtituto a *Nymphis* balneo, *mitem valde ſcabiem* ſoloque pruritu incommodam ſuſcepiſſe fertur.

Norunt autem in re medica vel leviter verſati, quod præter *benignam* illam, ſive humidam, ſive ſiccam *ſcabiem*, ſæpe etiam accidat *gravior, mali moris, fœda, diuturna & lepræ proxima*, diverſis nominibus appellata, qualem hoſti quoque infenſiſſimo imprecari velle piaculum foret.

Cæterum nos *benevolo* Adagiorum noſtrorum *Lectori* cuivis, tam primo quam poſtremo, ſive circa primas ſive extremas eorum lineas occupato, ne *Herculanæ* quidem *ſcabiei iucundam pruriginem*, ſed quodlibet iucundius & optatius precamur.

(f) *Lib. V. cap. XXVII. artic. IV.* (g) *de Arte Poet. verſ.* 417.